



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

20. Dum Christi, &c. De beato Stanislao Kostka, novitio Societatis Jesu,
sanctorum Confessorum Canoni per eundem adscripto die XXXI.
Decembris anni MDCCXXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

1725.

vestros præstiteritis forsan hæcenus, vel vos in posterum præstare contigerit juramentum; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis dictis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & Hospitalibus, illorumque Præsulibus, seu Administratoribus, & Superioribus, ac Magistris, Præceptoribus, Prioribus, Militibus, etiam Antianis, Capitulis, Conventibus, Civitatibus, & locis, aliisque prædictis, ac illorum Communicatibus, Universitatibus, aliisque personis, etiam particularibus, necnon Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ordinariis, etiam eisdem Cardinalibus, ac dictæ Curie Officialibus, illorumque Collegiis, ac etiam decimarum, pedagiorum, gabellarum, & onerum exactoribus, & appaltatoribus, & aliorum onerum redemptoribus sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam Nos, & Sedem prædictam, etiam Consistorialiter, ac de eorumdem Cardinalium consilio, etiam per modum Statuti, & Constitutionis perpetuorum, ac motu, & scientia similibus, deque Apostolica potestatis plenitudine, vel ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, Marchionum, & aliorum Principum instantiam, seu illorum contemplatione in genere, vel in specie, ac aliis quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, etiam in eis, ac statutis, & stabilimentis prædictis caveatur expressè, vel tacitè, quod Urbis nisi originariis Civibus Romanis, ac Civium eorumdem filijs conferantur, quodque nonnullarum Ecclesiarum beneficia, nisi per personas illustres, vel nobiles, ac etiam originarios Cives, aut alias certo modo in illis expresso qualificatos obtineri non possint, & nulli in Civibus Urbis, ac Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum hujusmodi admitti, seu illorum privilegiis uti possint, nisi prius in dictis Civitatibus, Oppidis, Terris, & locis per certum tempus habitaverint, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendencia possederint, quodque Præceptorie, & alia beneficia quæcumque dicti Hospitalis tan ex ejus institutione, quam ex stabilimentorum prædictorum dispositione pensionibus Clericis secularibus, & aliis personis, etiam Apostolica autoritate reservandis gravari non possint, quodque stabilimentis, & privilegiis prædictis, etiam vigore implicitæ derogationis latissimè extendendæ, etiam per quascumque literas Apostolicas, & qualvis etiam derogatoriis derogatorias, efficaciores, & insolitas clausulas derogari non possit, nec derogatum censetur, nisi derogatio hujusmodi de consilio Cardinalium eorumdem fiat, & tum demum Magistri, & Conventus prædictorum ad id accedat assensus, sintque literæ derogationis hujusmodi etiam per dictum Magistrum subscriptæ, ac illi, & præfato Conventui per diversas in forma Brevis, aut alias literas diversis temporibus cum certis intervallis præsentatas intimatæ, & non alias, nec alio modo, & semper in omnibus, quæ sic sent etiam de simili consilio derogationibus sic apposita clausula, quod illam effectum sortiantur de consensu Magistri, & Conventus prædictorum, & non alias, nec alio modo, quodque ipsi Exactores, & Appaltatores decimas, & onera hujusmodi, etiam ab exemptis exigere, & illos ad solutionem, seu contributionem cogere, & compellere possint, seu debeant. Quibus omnibus illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum infererentur præsentibus expressis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, hæc vice dumtaxat in genere, & in specie, ad effectum præsentium sufficienter, & expressè derogamus, ac derogatum esse decernimus; Quodque vos primam non feceritis in Ecclesiis hujusmodi personalem residentiam consueta, cæterisque contrariis quibuscumque. Volamus autem, quod antequam gratia creationis in nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios vobis, ut supra, facta perferri valeatis, in mani-

bus alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constituta professionem fidei juxta articulos pridem à Sede prædicta propositos expressè emittere, & solum fidelitatis juramentum præstare omnino teneamini; Quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur in judicio, & extra, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Cæterum volumus pariter atque decernimus, ut illis ex vobis, quibus similes testandi de bonis, ac pensiones transferendi facultates à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, quorum respectivè etiam familiares continui commensales erant, concessæ fuerunt, præsentibus literæ quoad facultates testandi de bonis, & transferendi pensiones hujusmodi minime suffragentur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xv. Decembris MDCCXXV. Pontificatus nostri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

De beato Stanislao Kostka, novitio Societatis Jesu, sanctorum Confessorum Canonici per eundem adscripto die XXXI. Decembris anni MDCCXXVI.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

DUm Christi voce compertum est, à nemine lucernam accendi, & poni eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt; nos, Dei cultus in sanctis ejus amplificandi summè solliciti, hinc monemur, pium & justum esse, ut quos Deus stola gloriæ indutos ob merita sanctitatis coronat in cælis, eosdem nos quoque publicæ venerationis præconio in terris laudantes, ipsam Deum in iis glorificemus, cujus magnitudinem in gestis sanctorum coruscare certissimum est. Hos inter fuit beate memoriæ adolescens Stanislao Kostka, Christianis virtutibus, magnisque miraculis clarus, quæ ad S. R. E. canonicas regulas maturo consilio comprobata, nos induxerunt, ut hac die, in honorem antecessoris nostri Silvestri Confessoris atque Pontificis in Deo sacra, cum sanctorum Confessorum fastis adscriberemus.

Stanislao in avito opido Masovia, Ducatus Regni Polonici, medio sæculo Christi Domini decimo sexto ex senatoria familia natus, Viennam Augustam in Seminario Societatis Jesu liberalibus disciplinis imbuendus profectus est. Præ multis virtutibus, quibus excelluit, illibatam morum candorem tam sanctè servavit, ut si quem minus honestè loquentem audiret, veluti exanimis statim concideret. Ob rerum & temporum vices soluto Seminario Viennensi, Stanislao post annum inde egressus, in tenera ætate magnæ virtutis, Christiano more exercendæ, occasionem offendit. Hospes enim, in cujus aedes cum fratre migrare coactus est, Lutherana hæresi infectus, nimisque fratris rigor, innocentissimi adolescentis animum non modica perturbatione impleverunt. Sed invicta Stanislai virtus nunquam succubuit, unam dumtaxat ærumnarum omnium durissimam ratus, quod in domo à recta fide aliena graviter decumbens, sanctissimo Eucharistiæ Sacramento refici non posset. Divino tamen prodigio per cælestes juvenes, præsentem beatam Barbaram virginem & martyrem, cujus patrocinio in re tanta se commendaverat, pane angelico recreari meruit, unde animæ & corporis viribus mirificè confirmatus, de quibuscumque vexationibus strenuè trium-

1725.

15. Decem.
1725.

XX.

I.
Dei cultus
in sanctis
ejus ampli-
ficatur.

II.
Beati Stanislai ortus,
institutio, &
magnarum
virtutum
præstantia.

1726.

phavit, quem aliàs rerum cœlestium assidua contemplatio, summè innocens corpus in servitute redactum, incredibilis mansuetudo, inque fratris asperitate triennali spatio toleranda Christianum animi robur, supra ætatem planè admirandum reddiderunt. Mox Deiparæ Virginis monitu, quæ divinum infantulum ei amplectendum porrexit, jam dictæ Societati Jesu, ingenti plausu tunc recens nate, nomen dare constituit; utque citius voti compos fieret, sub habitu peregrini, licèt ab omni re, tam longo itinere necessaria, imparatus, Romam properare contendit, à fratre citatis equis cum quaritante, divinæ gratiæ præsidio nequam agnitus, & rursus à choro Angelorum cœlesti pabulo in via recreatus.

III.

Societatis Jesu tirocinium Dei amore inflammatus init, & piè obit.

Aliquandiu in famulatu seminarii Dilingensis in diœcesi Augustana, tanquam religiosæ vocationis experimento, commoratus, Romam tandem per viarum ambages & vitæ discrimina ingressus, inque tirocinium Societatis Jesu à beato Confessore Francisco Borgia, tunc Præposito generali, admittas est, ubi nullis suorum minis perterritus, in omnium Christianarum virtutum agone se veteranum Dei militem spectandum exhibuit, à perspicuæ pietatis viris, interque hos à beato confessore & pontifice Francisco Salesio, singulari præconio cumulatus. Deiparam Virginem, ut dulcem patronam suam maximo semper cultu observavit, tantoque divini amoris actu ardere visus est, ut brumali tempore pectus linteis frigida aqua conspersis malefaceret. Morbo demum levi correptus, vehementique Dei amore inflammatus, in ejus sinum translatus est anno reparatæ salutis MDLXXIII. die festo, ut prædixerat. Deiparæ Virginis in cœlum assumptæ, XVII. Kal. Septembris, anno atatis XVII. regularis tirocinii mensè decimo.

IV.

Stanislai, miraculis clari, exuvia incorruptæ, proque eo sanctorum canonum adscribendo Christianorum Principum supplicaciones.

Miræ innocentia adolescentis exuvia biennio ab ejus depositione incorruptæ, suavique odore perfusæ repertæ sunt. Postmodum triumphalem in cœlesti Hierusalem servi sui gloriam, quem piæ memoria antecessor noster Paulus Papa V. beatorum numero adscripserat, Deus miraculo comprobavit; dum Sigismundo Rege Poloniæ in Turcas, Christianorum cervicibus imminentes, bella Domini præliante, sublimis in ære visus est Stanislaus in splendido curru cum Deipara Virgine & filio Jesu; unde Polonorum animi in dubia certaminis alea viribus aucti, immanissimos hostes fuderunt, quo tempore beati adolescentis caput à felicis memoriæ decessore nostro Gregorio Papa XV. in Poloniam missum, adventu suo victores populos novo gaudio cumulavit. His atque aliis, omnium Christianifidelium veneratione dignissimis, per Stanislaus preces apud Deum editis lignis, sanctitatis ejus fama ubique diffusa, apud Apostolicam Sedem exorantibus Poloniæ Regibus Sigismundo, Uladislao & Johanne Casimiro, de eo sanctorum canonum adscribendo actum est, præcipuè sub Romanis Pontificibus antecessoribus nostris Paulo V. Innocentio X. & Clemente X. quorum postremus sacrum officium à Societate Jesu, itemque à clero seculari totius Poloniæ, magnique ducatus Lituaniæ, certa die de eo recitari auctoritate Apostolica indulget; quod, propria subinde oratione addita, confirmavit alius venerandæ memoriæ antecessor Innocentius Papa XI.

V.

Polonis & Lituaniis patronus datur, deque eo in sanctorum confessorum anonem

Denique Stanislaus virtutibus per Clementem X. qui eum Polonis & Lituaniis primarium apud Deum patronum adsignavit, undequaque adprobatis, piè quoque recordationis Clemens XI. ejusdem miracula, coram se per venerabiles fratres S. R. E. Cardinales in examen adducta, pontificia auctoritate adprobavit, decreto edito de beato Dei

servo in sanctorum confessorum canonem referendo. Clemente verò priusquam solemnè ritu remtantam absolveret, viam universæ carnis ingresso nos, qui meritis licèt imparibus, eidem in cathedra beati Petri successimus, in tribus confessoris & plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum nobiscum Romæ præsentium, gestis beati Stanislaus ritè perpensis, unanimi omnium sententia per Sedis Apostolicæ Notarios coram nobis excepta, Regumque ac Principum Christianorum, & Societatis Jesu, pro illo in sanctorum confessorum canonem referendo, precibus Apostolicæ Sedi & nobis enixè porrectis, rei perficiendæ solemnem de more diem indiximus.

Mox per orationes, jejunia & elemosynas omnipotentis Dei ope ferventissimè implorata, ac universis, quæ ex Sanctæ Romanæ Ecclesiæ disciplina receptisque constitutionibus agenda erant, omni religione præactis, hac ipsa die in honorem antecessoris nostri Silvestri confessoris atque pontificis Deo sacra, una cum jamdictis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac utriusque cleri & populi frequentia in sacrosanctam basilicam Principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum & tertio pro Dei servo Stanislao sanctorum confessorum canonum adnumerando, per dilectum filium nostrum Alvarum S. R. E. Tituli sancti Bartholomæi in Insula presbyterum Cardinalem, Censuogum nuncupatum, precibus repetitis, post decantatas sacras orationes & Spiritus sancti gratiam humillimè invocatum, ad honorem sanctæ & individue Trinitatis, fidei catholicæ exaltationem, & christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus sancti, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum in plenario conventu basilicæ Vaticanæ præsentium, consilio & unanimi consensu, beatum Stanislauum Kostkam Polonum, Societatis Jesu novitium, de cujus sanctitate, fidei & cæterarum virtutum magnitudine, ac miraculorum excellentia plenè constabat & constat, unâ cum beato Aloysio Gonzaga ejusdem Societatis Jesu clerico, sanctorum confessorum non pontificum canonum adscribendum decrevimus & definimus, prout præsentium tenore adscribimus, decernimus & definimus, eundemque pro omnes Christianifideles, tanquam verè Sanctum, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut in Ecclesia universali in ejus honorem aedæ sacre & altaria, in quibus incurventum sacrificium Deo offeratur, adificari, & quotannis idibus Novembribus, ejus solemnia, ut sancti confessoris non pontificis, celebrari possint.

Insuper eadem auctoritate omnibus Christianifidelibus verè pœnitentibus & confessis, qui eodem solemnè die in honorem beati Stanislaus quotannis ad ejus exuvias, quæ in æde ad honorem beati Andrea Apostoli Deo sacra in Quirinali adservantur, venerandas accesserint, annum & quadragenam; iis verò, qui in octava ejusdem diei festi, quadraginta dies de injunctis, seu quomodolibet eis debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

Postremò gratis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque luminari illustrare voluisset, cantata in honorem sanctorum Stanislaus Kostkæ & Aloysii Gonzagæ solemnè oratione, in ara maxima supra confessionem Principis Apostolorum sacrosan-

1726. referendo decretum vulgatur.

VI. Beatus Stanislaus solenni ritu inter Sanctos canonum meratur.

VII. Pontifex sacras ejus exuvias Visfrantibus peculiariter indulgentias conce- dit.

VIII. Sacrosanctum missæ sacrificium in ejus honorem celebrat.

1726.

ctum Missæ sacrificium celebravimus cum eisdem & alterius confessoris commemoratione, omnibusque Christianis tunc presentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

IX.

Deus glorificandus in sanctitate beati Stanislai.

Decet igitur, ut pro tam peculiari magnoque beneficio nobis concessio omnes benedicamus & glorificemus Deum Patrem & bonorum omnium auctorem, cui est honor & gloria in sæcula, assiduis precibus ab eo flagitantes, ut per intercessionem electi sui Stanislai Kostka, à peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiae suæ, immittatque timorem sui super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus nisi Deus noster.

X.

Hæc literæ Apostolicæ ubique fidenter obtineant.

Cæterum quia difficile foret, presentes nostras literas ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis presentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

XI.
Nemo eas infringere audeat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo sexto, pridie Kalendas Januarias, pontificatus nostri anno tertio.

✠ Ego Benedictus catholicae Ecclesie Episcopus.

Pridie Kal.
Januar.
1726.



† Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus.

† Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Othobonus S. R. E. Vicecancellarius.

† Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corfinus.

† Ego Joseph Renuus Tit. Sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Imperialis.

† Ego Philippus Antonius Tit. sanctæ Prædix Presbyter Cardinalis Gualterius.

† Ego Annibal Tit. sancti Clementis Presbyter Cardinalis, sancti Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.

† Ego Ludovicus Tit. sancti Silvestri in Capite

Presbyter Cardinalis Pious de Mirandula.

† Ego Joannes Antonius Tit. sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis de Via.

† Ego Antonius Felix Tit. S. Balbini Presbyter Cardinalis Zondarius.

† Ego Petrus Tit. sanctæ Mariæ Transiberim Presbyter Cardinalis Corradinus.

† Ego Curtius Tit. sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.

† Ego Melchior Tit. sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.

† Ego Nicolaus Tit. sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.

† Ego Georgius Tit. sanctæ Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula, sanctæ Agnetis nuncupatus.

† Ego Cornelius Tit. sancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Bentivolus de Aragonia.

† Ego Ludovicus Tit. sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.

† Ego Joseph Tit. sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.

† Ego Alvarus Tit. sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.

† Ego Bernardus Maria Tit. sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus, major Pœnitentiarius.

† Ego Joannes Baptista Tit. Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.

† Ego Vincencius Tit. sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.

† Ego Prosper Tit. sancti Calixti Presbyter Cardinalis Marefucus.

† Ego Nicolaus Tit. sanctæ Mariæ in Domnica Presbyter Cardinalis Goscia.

† Ego Nicolaus Maria Tit. sanctorum Joannis & Pauli Presbyter Cardinalis Lercarius.

† Ego Frater Laurentius Tit. sancti Laurentii in Panc & Perna Presbyter Cardinalis Cozza.

† Ego Benedictus sanctæ Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis Pampphilus.

† Ego Laurentius sanctæ Agathæ ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.

† Ego Carolus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.

† Ego Julius sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.

† Ego Alexander sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus, Cardinalis Alexander nuncupatus.

† Ego Alexander sanctæ Mariæ de Scala Diaconus

Cardinalis

1726.

Cardinalis

1726.

Cardinalis Falconerius.
† Ego Nicolaus sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.

†
†
†
†
†

P. Card. Prodaturus.

Pro D. Cardinali Oliverio.

C. Archiepiscopus Emisenus.

Visa De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

XXI.

De beato Aloyso Gonzaga, clerico Societatis Jesu, sanctorum Confessorum Canonis per eundem adscripto die XX XI. Decembris Anni MDCCXXVI.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

I.
Dei fervorum sanctitas à summo Pontifice toti Ecclesiæ manifestatur.

CHRISTIANÆ virtutes & summa vitæ innocentia strennos Dei milites post triumphum de hoc mundo, perquam dignos efficiunt, qui inter cælestis Hierusalem emeritos cives commerentur; atque hinc nobis universalis Ecclesiæ regimini præpositis maxime convenit Apostolica voce eorundem sanctitatem manifestare, ut omnes tanto patrocini in cælis muniti, optimisque piæ illorum conversationis exemplis instructi per viam salutis incedere valeant, unde & ipsi tandem vitæ cursu feliciter consummato, eorum consortio ad jungi mereantur, quorum se regulis conformare studuerunt. Itaque nos hac die, in honorem antecessoris nostri Silvestri confessoris atque pontificis Deo sacra, cum ingenti exultatione & celebritate in basilicam Principis Apostolorum convenientes, angelicum juvenem, inque regulari militia probatissimum clericum, Aloysium Gonzagam, sanctorum canonis adscriptimus, ut Christianis in ejus meritis solemniter præconio ad Dei gloriam recolendis propitium in cælo deprecatorem obtineant.

II.
Beati Aloysii Gonzagæ ortus, pia educatio, utriusque admiranda.

Castellione, Galliæ Cisalpinæ ad fines Mantuani ducatus nobili opido, quod discriminis causa *Servorum* appellatur, Marchionatus olim, dein principatus titulo, insigni, ex primaria Gonzaga familia VI. idus Martias anno Christi Domini MD. XVIII. natus est Aloysius, antea baptizatus, quam totus in lucem editus. Ab ipsis infantia & eo magis pueritia primordiis magna in illo & multa futuræ sanctitatis argumenta apparuerunt, quæ beatus Carolus Borromæus S. R. E. Cardinalis & Archiepiscopus Mediolanensis coram miratus, illum adhuc duodennem, in rebus divinis aded instructum reperit, ut dignum putaverit, quem sanctissimo Eucharistiæ Sacramento suis manibus ipse primus reficeret. Tum verò in patriis ædibus, & Florentiæ, ubi Aloysius novennis Deiparæ virginitatem suam vovit, quam semper una cum innocentia baptismali illibatam servavit, tum maxime in aula regia Hispaniarum, quo tredecennis cum parentibus in comitatu Mariæ Augustæ petierat, cælestes ejus animi dotes paruerunt. Ibi enim rara ejus pietas in dies prodiens, omnium oculos & admirationem in se convertit, nullis mundi illecebris innocentissimum puerum alio trahentibus: cujus etiam sanctissimum puerum alio trahentibus: cujus etiam sanctus pudor is fuit, ut matro-

nas, confanguineas quoque, ac matrem ipsam, ad spicere, & seorsum alloqui refugeret. Quin, ut Dei famulatum tutius amplecteretur, vix annum decimum quintum egressus, in Societatem Jesu migrare constitit: quam cogitationem nullæ Regum & Principum blanditiæ, nullæ à parentibus toto triennali spatio adhibitæ machinæ, ex ejus animo evellere potuerunt.

Quare mirantibus & lugentibus confanguineis, Romam iturus, ficis oculis avito se principatu abdicavit, inque alma æde Lauretana votum, quo eum pia mater incolumen paritura, Deo se obstrinxerat, incredibili religione persolvit, Romæ verò in primariis septem Ecclesiis Deum propitium sibi precat, mox in domum probandis spiritibus, Societati Jesu nomen daturis, destinatum, maximo gaudio convolvit, ubi eximius ejus virtutibus parefactis, voti que postea regularibus de more ab eo nuncupatis, in clericum adscitus, primisque ordinibus initiatus est. Quanta verecundia se spectandum, quantaque humilitate, paupertatis studio, sui que contemptu viliora officia ultrò subire gestiens, se toti Urbi admirandum ostenderit, oculati & probatissimi testes literarum monumentis consignaverunt. Sed ejus caritas præcipuo sermone celebranda est, quippe quæ maxima fuit, & præsertim enituit, dum ex annonæ inopia sævo in Urbe contagio ingruente, quod multa millia hominum sustulit, ipse quamvis corpore macerationibus penè confectus, pedibus vix consisteret, à majoribus impetravit, ut in publicis valetudinariis lethali ter ærotantes inviseret, stipem vicatim per Urbem esurientibus erogaret, inque communi vastitate languidos ipsos in hospitales domos suis humeris latos exeret, sordibus mundaret, ac cibo etiam verbi Dei pasceret: quæ omnia tanto studio peregit, ut & ipse pestilenti halitu afflatus aliquandiu novo hoc experimento probandus, contabesceret.

Tandem suæ migrationis tempus appropinquare animadvertens, Ecclesiæ sacramentis ad magnum iter munitus, dulcissimoque Jesu nomine, quod semper in corde atque ore habuerat, repetito; nocte, quam prædixerat ante diem XI. Kalendas Julias anni MDXCI. plurimis admirandæ & consummatæ virtutis speciminibus editis, placidissima in pace quievit, anno ætatis suæ XXIII. religionis sexto, clericatus quarto. Ad ejus exuvias venerandas tanta populi Romani turba confluit, ut adis portas claudi oportuerit, ne sacrum pignus devotionis causa in frustra disperperetur. Et quamvis loculum sepulcralem, ei servando adsignatum nullus foris titulus distingueret, Fidelium tamen pietas accensis facibus, votivisque tabellis ac donariis subinde allatis, eum probe distinguit. Aloysii sanctitatem diserto etiam præconio vulgavit in mentis excessu Dei ancilla, postmodum sanctis Virginibus adnumerata Maria Magdalena de Pazzis.

Quin crebra & maxima signa per Servi sui intercessionem à Deo patrata, ejusdem sanctitatis famam per universam Italiam eo usque vulgaverunt, ut Synodus Mantuana recolendæ memoriæ antecessori nostro Paulo Papæ V. enixas preces obtulerit pro Aloysio in Beatorum numerum referendo, eodemque relato cum multi Christiani, Principes à Sede Apostolicâ flagitarent, ut inter sanctos quoque numeraretur, res tanta Venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalium, sacris Ritibus examinandis præpostorum Judicio perpendenda commissa est. Hi verò beati Aloysii virtutes & miracula, de quibus plenè constabat, ad sacros Ecclesiæ Canones & disciplinam suffragiis suis omnino

III.
Societati Jesu nomen daturus, magna animi fortitudine suis valedicit, & Romam perit ubi Christianis virtutibus omnium oculos in se convertit.

IV.
Pie obiit, & pro sancto agnoscitur.

V.
Synodus Mantuana & Christiani Principes pro Aloysio sanctis Confessoribus adscribendo Apostolicam sedem exorant. Ejus virtutes & miracula comprobantur, deque eo Horæ Canonice & Missæ celebrari statuantur.

compro.